

DISSERTATIO PHYSICA

De

AMMISTIONE,

Quam

INDULTU

Sacrofanctæ Trinitatis

PRÆSIDE

M. ADAMO  Srdmann MIRO,

Adorfia-Varisco, Serenifs. & Potent. Elect.

Sax. Alumno,

In Illustri ad Albim Academia

publicè defendet

RESPONDENS

JOH. PHILIPPUS WENTZELIUS,

Graffenhayn. Saxo SS. Theol. & Phil. Stud.

Ser. Elect. Alumnus.

*Ad diem XIV. Novemb. Anno dñi 1773 LXXXIII.*

*Loco horisq; consuetis.*



WITTENBERGÆ,

*Typis Viduæ Augusti BRÜNINGII,*

52

*Illustrissimo atq; Excellentissimo*

Supremi Senatus Ecclesiastici

**P R Æ S I D I**

**DOMINO SUO GRATIOSISSIMO**

ut &

Cæteris ejusdem Senatus Assessoribus  
Gravissimis,


**V I R I S**

*SUMME REVERENDA DIGNITATE  
MAGNIFICENTIA NOBILISSIMIS;*

Dnn. Patronis ac Promotoribus omni  
observantiæ & pietatis cultu sanctissimè  
colendis,

Has primitias Academicas mente deveb  
offert, dicat, consecrat,

Respondens  
Johannes Philippus



## PRO OEMIUM.



Ingulis, quæ in naturæ  
theatro conspiciuntur, corpo-  
ribus tanta inest præstantia,  
tanta majestas, ut jure merito-  
q̄ve unumquemq̄; in sui admi-  
rationem rapere debeant. Si intuemur mun-  
dum superiorem, illum non solum per-  
fectissimè Conditor sapientissimus combina-  
vit, sed & statum firmissimum, ordinem cer-  
tissimum, pulchritudinem deniq̄; maximam  
addidit. Nihil formosâ cœli structurâ admi-  
rabilius. Nihil stellarum magnitudine, splen-  
doris varietate, cursus deniq̄; celeritate pul-  
chrius. Si respicimus mundum Inferiorem,  
omnia in eo jucunda, omnia splendida, omnia  
amœna sunt. Terra mirabili herba-

A

2

rum

rum arborumq; varietate condecorata & ex-  
ornata est. Animalium numerus sicuti in-  
numerus est, ita corpora eorum tam elegan-  
ter, tamq; artificiosè contexta sunt, ut illa neq;  
mirari ars satis, nec ingenium humanum ri-  
mari possit. Hæc autem mundi sublunaris  
pulchritudo, si pauca corpora excipias, à *mi-  
stione* maximâ ex parte pendet. Natura enim  
elementa juxta numerum, pondus & mensu-  
ram corporibus ita in mistione tribuit, sicut  
perfectio & venustas cujusvis efflagitat. Quæ  
doctrina licet perplexa & intricata satis sit, at-  
tamen ob insignem ejus utilitatem vires in-  
genii impræsentiarum in ea exercere non pi-  
get. Quod vero ut feliciter succedat, Deum  
supplici voce veneramur, velit ex alto nos visi-  
tare, & in hac *διασκεψει* mentem nostram cle-  
mentia suæ radiis ita collustrare, ut veritatem  
investigare, investigatamq; feliciter propu-  
gnare possimus.

§. 1. Quam-

**Q**uamvis ὀνοματολογίαν facilè transmittere possemus, cum naturæ indagator. potius de re, quam de nomine sollicitus esse debeat, quoniam tamen ex cognitione nominis non raro ad rei perceptionem provehimur, juxta illud *Damasceni* δηλωτικὰ ἐστὶ τὰ ὀνόματα τῶν πραγμάτων pauca tantum prælibare lubet.

§. 2. Neque tamen aliquid de *vocis origine* annotabimus. Unusquisque enim, nobis etiam tacentibus, deprehendit facilè, *mistionem* à *miscendo* derivari. Magis ad nos pertinet, *ambiguitatem*, quæ in voce *mistionis* latet, tollere, ut deinceps felicius faciliusque in nostro instituto progredi liceat. Tenendum proindè, quod *mistio* sit vel *artificialis*, quæ ab arte pendet; vel *naturalis*, quæ naturæ tribuitur. *Illā* doctrinæ gratiæ in *crassiores* & *subtiliores* dispesci potest. *Crasior* notat diversorum corporum, superficies suas servantium, accumulationem seu coæcervationem, qualem *mistionem* cernere licet in acervo tritici, hordei, aliorumque frumentorum. Ibi enim grana sine omni superficie mutatae accumulatur. *Subtilior* dicitur, quando componuntur aut confunduntur diversa corpora, ut, quamvis singula suam naturam servant, & aliquando quoque separari possint, unum tamen ex omnibus corpus conficiatur. Talis est *crama*, ex vino & aqua compositum corpus. Huc quoque *melicratum*, *hydromel*, aliaque infinita per artem composita pertinent. *Hæc* (*mistio* nempe *naturalis*) est, quando corpus aliquod fit à *miscibilium* natura diversum, quodque formam possidet à *componentium* *miscibilium* forma prorsus differentem. Atque hæc *mistio* *impresentiarum* à nobis consideratur. Nonnullis dici solet *generatio*, quæ tamen, si ἀκριβεῖν velimus, à *mistione* differt, ut eruditè annotat, B. Sennertus in *Epit. Nat. Scient. lib. 3. c. 3. p. 274.*

§. 3. Expedita *nomini* seu *vocis notione*, ad ipsam *Definitionem realem* progredimur. In hac verò tradendâ magnoperè Philosophi dissentiunt. *Peripatetici*, ductorem atque doctorem suum *Aristotelem* sequentes, dicunt, quod *mistio* sit *miscibilium alteratorum unio*. Subtilis *Scaliger* talem proponit definitionem: *Mistio est motus corporum,*

parum minimorum ad mutuum contactum, ut fiat unio. B. Sperlingius  
denique mistionem ita definit: *Mistio est miscibilium in minima divi-*  
*sorum unio, à formâ specificâ facta.*

§. 4. Definitionis, quæ Peripateticorum est, sensus juxta  
*Sperlingium Inst. Phys. lib. 6. cap. 1. qv. 1.* est talis: In misti generatione  
quatuor elementa concurrunt, inter se pugnant, franguntur & re-  
fringuntur, agunt & reaguntur, & uniuntur ita, ut beneficio alte-  
rationis etiam in minima misti particula sint, & ex eâ attrahi pos-  
sint. Intelligunt autem (id quod obiter observandum) Peripateti-  
ci per alterationem nihil aliud, quam nudam qualitatum in una ea-  
demq; substantia commutationem. Ita enim ipse *Aristoteles l. 1. de*  
*gener. & corr. ἀλλοίωσις μὴ εἶναι, ὅταν ὑπομένοντι & ὑποκειμένῃ, ἀιδήλῃ*  
*ἔντι & μετὰ βλάβην ἐν τοῖς αὐτῷ πράξεσιν, ἢ ἐναντίοις εἶναι, ἢ μετὰ ζῆν.* Al-  
teratio est, quando sensibile subjectum permanens, in suis mutatur affe-  
ctibus, qui aut contrarii, aut inter contraria medii sunt. Vide *Conim-*  
*bricenses super hunc locum artic. 1.* Atque talem alterationem pro-  
priissimè elementis competere perhibent, ita, ut unum numero ele-  
mentum nunc siccum, nunc humidum, nunc calidum, nunc frigi-  
dum esse possit. Verùm quâ ratione sententia ista in sanâ Philosophia  
tolerari possit, non videmus. Introduce enim priorum à sub-  
jectis suis separationē, cum tamen infallibilis Philosophorum cano-  
sit, propria à subjectis suis nunquā separari. Introduce dogma illud,  
quod in eodem subjecto, uno eodemq; tempore, actiones contrariæ  
esse possint, cum tamen firmum fixumq; stet axioma, unum idemq;  
subjectum eodem tempore non recipere actiones contrarias. Ta-  
ceo, quod sententia ista naturam accidentium evertat, utpote quæ  
de subjecto in subjectum migrare haudquaquam possuat. Hæc igitur  
misti definitio cum tam ruinoso nitatur fundamento de Ele-  
mentorum alteratione, quid mirum, quod tam longè à veritate de-  
flectat? Quoniam verò institutū nostrum non fert, examinare eam,  
& quibus nævis illa scateat, planum facere, missam eam facimus.  
Examinatam eam satis sufficienterq; videre quilibet potest apud  
*B. Sperlingium Instit. Phys. l. c. qv. 1. & Exerc. Phys. lib. 6. Exerc. 1. pro-*  
*pos. 1. & 2.*

§. 5. Magis ad veritatem accedere videtur altera definitio,  
quæ



quæ Scaligeri est, quando mistio motus corporum minimorum dicitur ad mutuum contactum, ut fiat unio. Non tamen omnem difficultatem in illa tollit, nec mistionis naturam satis explicat. Dum enim miscibilia ex Definitione excludit, & atomos rejicere conatur, nodum in scirpo quærit, cum notum sit, quod omnis mistio mediantibus atomis seu minimis fiat.

§. 6. Omnium proinde optima & accuratissima est Definitio, quam ex B. Sperlingio attulimus. Hæc enim sicut *verum & legitimum genus* continet; ita in *Differentia* ea exhibet, quæ in eâ proponi debebant. *Genus est unio*. Quæ enim miscentur, non abolentur, sed conjunguntur. Intelligitur autem per unionem talis conjunctio & conglutinatio, quâ res miscibiles tertium quoddam constituunt, novamque speciem gignunt. *Differentia* tribus absolvitur momentis, materiâ mistionis, modo, ac causa denique Efficiente. *Materia* sunt res miscibiles seu miscibilia, hoc est, quatuor elementa una cum principiis chymicis, non quidem seorsim spectata, sed conjunctim, & quatenus in aliis oblata sunt mistis. *Modus* in eo consistit, ut ea, quæ misceri dicuntur, prius in minima resolvantur, deinceps iterum conjungantur. *Causa* denique *Efficiens* est *forma specifica*. Nam solus elementorum concursus & actio non sufficiunt ad mistum producendum, sed formæ superioris directio accedat necesse est. Hæc ipsa regit miscibilia, hæc disponit, hæc unicè ordinat.

§. 7. Singula hæc, cum à multis in dubium vocentur, paulo altius repetemus. Labet autem initium facere à *Causa mistionis Efficiente principali*. Hanc vero esse formam corporis specificam, tam clarum est, quam quod clarissimū. Forma enim sicut suum sibi fabricat corpus, ita ad id constituendum, non solum elementa, verum etiam alia corpora attrahit, disponit, suoque regit imperio. Unde fit, ut formaliter jam unum sint, quæ erant plura per se. Pulchrè hoc ostendit Sennertus, *lib. de Conf. & Diff. cap. 12.* inquit: In prima creatione non solum quælibet res suam formam, sed conveniens formæ corpus, omnipotente verbo accepit. Et hanc suam naturam, creatoris voluntate & benedictione, usque ad ultimum terminum observant. Ideoque in rerum propagatione specifica  
forma

forma requiritur, quam elementorum concursus & mistio illa temeraria præstare non potest. Forma ergò & anima cujusq; rei architecta est: & primus motor in mistione est anima ac forma cujusq; rei, *δημιουργός* communis & commune naturæ instrumentum, quoad virtutes rerum fovendas utitur color est, & spiritus cujuscunq; rei insitus & φύσις illa *Ἀλλὰ πάντων διήκασα*. Hæc ille.

§. 8. Verum hanc principalem mistionis causam plures non agnoverunt, vel agnoscere noluerunt, sed persuasi fuerunt, tantummodo ex *mutua elementorum pugna & actione inter se mutuâ* omniū corporum naturalium species provenire. Quæ sententia quamvis ab ipso Philosopho olim propugnata sit, & in hunc usq; diem sui admiratores inveniat, veritati tamen minimè consentanea est. Quis enim credat, tam nobiles naturas, tot insignibus præditas qualitatibus, solum ex concursu, conflictu & pugnâ, & tandem attemperatione elementorum natas esse? Quis credat, elementa, quæ in mistionis opere tantum passive se habent, tam insignium, omnibusq; modis perfectorum corporum causam efficientem esse posse? Miscibilia sunt, ergo agente, rectore ac directore opus est. Materia mistionis sunt, quæ seipsam non conjungit, sed agens, & conjungens atq; disponens requirit. Proinde aliud principium est investigandum, quod & causa unionis principalis sit, & elementa cum principiis chemicis juxta pondus & mensuram assumat. Tale autem nullum præter formam specificam esse, supra ostendimus. Hinc optimè *Scaliger Exerc: 397. f. 20*. Nisi quatuor illa elementa Rectorem habeant, temerè, ac sine modo metaq; ullâ & jactabunt & jactabuntur. Quid enim illud est, quod tantum terræ, tantum commiscet cæterorum? Ac oportet in unoquoq; motum esse unum & primum. Non enim illa sese movere ullum ad opus queunt, sed in compositis à forma excellentiore, in mistis imperfectis ab æterno principio cientur ad mutuam connexionem. Huc quoque pertinent verba *Sennerti in C. ac D. loc: cit: p. 210*. Non iis patrocinamur qui in naturalibus nihil præter elementa quæerunt. Materiam dant elementa, non formam. Mistum, quâ mistum, formis elementari-bus informari, non repugno. Veram cujusq; rei formam specificam, quæ rei dat suam essentiam & nomen, ab elementis provenire, nego. Est enim in unaquaq; re naturali & partibus corporis præ-  
ter

ter materiam, quam elementa suppeditant, divinitus quoddam principium & natura quinta, quæ sunt id, quod sunt, & in certam speciem naturalis familiam reducuntur. Elementa enim materia sunt ideoque actum dare non possunt.

§. 9. Atque hæc quidem sole meridiano clariora sunt. Sicut autem fieri solet, ut illi, qui semel errore aliquo mentes suas imbuerunt, ab eo non faciliè recedant, licet aperta veritas ab aliis sæpè illis ostensa sit: Ita & hic loci nonnulli satius ducunt, ineptis suis hypothesebus inhærere, quam regiam veritatis viam, in quam ab aliis perducti sæpè sunt, subsequi. Agmen inter reliquos hic ducit *Jacchæus*, quando *Instit. Phys. p. 495.* non erubescit ita scribere: Ad misionem tria requiruntur. Nam 1. debet esse elementorum ad unum locum concursus. 2. Mutua redactio, unde sequitur primarum qualitatuum temperies. 3. Divisio elementorum in minutas partes, quibus positis, forma misti resultat. Pergit: Prima conditio ad misionem requisita, est elementorum in unum locum concursus. Nec enim fingi potest mistio sine miscibilium corporum contactu: at tangere se non possunt elementa, quin sint simul, & in unum quasi locum confluant &c. Secunda conditio est elementorum reactio. Nec enim sufficit, elementa simul esse, sed oportet in se mutuo reagere, alioquin non orietur mistum. Nam si elementa manent integra non erit mistio &c: Tertium, quod in misione observare volumus, est elementorum in minutas partes divisio, quod sine humiditate fieri nequit. Hæc ille.

§. 10. Sed magnoperè fallit & fallitur *Jacchæus*. *Primo* enim falsum est, quod in misione opus sit elementorum ad unum locum concursu. Non è cœcis mundi angulis confluent elementa, sed in quolibet semine illa adsunt. Non seipsa movent ac disponunt, sed, uti supra sæpius dictum, moventur ab alio ac disponuntur. Forma est, quæ regit, conjungit ac disponit. Sufficienter hoc nos docet generatio plantarum. Non ibi requiritur, ut elementa è diversis locis in unum concurrant: Semina adsunt, in quibus illa cum principiis Chymicis continentur. Hæc ab anima ita reguntur ac disponuntur, ut pulcherrima elaborentur corpora. Sic quoque in semine animalium forma cujusque specifica præsens est, quæ ita ordinat elementa, ut tantum terræ, tantum aquæ, tantum cæterorum e-

B

lemen-

elementorum attrahat ad formationem & augmentationem corporis, quantum ipsa efflagitat natura. Gratis quoque in *secunda conditione* asserit, quod elementa in mixtione inter se agere, subque unam coire formam debeant, quodque non convenire possint, nisi fracta; nec refringi, nisi per mutuam actionem. Ut enim nulla substantia, ita nec formae intenduntur & remittuntur. Non recipiunt magis & minus, sed ubicunque sunt, ibi vel totae adsunt, vel totae absunt. In *tertia conditione* observamus, quod rectius dicatur, elementa resolvi in minima, quam in minutas partes. Sic enim rectius non solum fiet miscibilium mutua approximatio, verum etiam insinuatio. Et sicut minimi igniculi se melius insinuant & immittunt, quam flamma aut carbo, ita etiam se res habet cum reliquis elementis.

§. II. Relicta *Causa Efficiente* ad *Materiam* mixtionis progredimur, quam supra esse diximus quatuor elementa cum principiis chymicis. Esse *elementa* materiam mixtionis, nemo facile negabit. Utrum vero *principia chymica* mixtionem ingrediantur, nonnulli dubitant. Sed res manifesta atque evidens est. In mixtis enim sapor, odor, color aliaque deprehenduntur, quae non nisi à principiis chymicis sunt. Posito autem effectu principiorum chymicorum in mixtis, necessario ipsa quoque principia chymica ponuntur, quia effectus sine causa esse non potest, sed eam semper supponit. Accedit quod inanis esset corporum istorum existentia, nisi in mixtis reperirentur.

§. 12. Altioris indaginis res est, determinare, *quomodo elementa cum principiis chymicis ingrediantur corpus mixtum*. Res enim tam difficilis est, ut in diversissimas sententias scindantur eruditi. Sunt enim qui asserere audent, formas elementorum in mixtis planè aboleri, nullaque ratione in istis remanere. Alii quidem formas in mixtis remanere concedunt, attamen refractas illas esse atque diminutas, persuasi sint. Plerorumque denique sententia est, formas integras, nullaque sui parte diminutas cum omnibus facultatibus remanere.

§. 13. *Prima* sententia videtur esse ipsius *Philosophi*, quando *lib. 1. de generat. & corrupt.* haec eius leguntur verba: Δῆλον, ὡς ἔτε χημικὰ σωζόμενα δεῖ τὰ μίγνυμένα φάναι μεμίχθαι. σύνθεσις ᾧ ἔσται, ἔτι καὶ σις, ἔδὲ ἔξει τὸν αὐτὸν λόγον τῷ ὅλῳ τὸ μέρος. φάμεν δὲ εἶπερ δεῖ μεμίχθαι π, τὸ μίχθαι ὁμοιομερὲς εἶται. καὶ ὡς περὶ τὸ ὕδατος τὸ μέρος ὕδατος, ἔτι καὶ τὸ κεραιεύει. Ἄν δὲ ἡ χημικὰ σύνθεσις ἡ μίξις, ἔδὲν συμβήσεται τῶν h. e. Mani-

Manifestum est, quod neq; secundum parva salvata oportet ea, quæ  
miscantur, dicere, mista esse. Compositio enim esset, non tempe-  
ramentum, nec mixtio, neq; pars cum toto eandem haberet ratio-  
nem. Dicimus autem, oportere, si mixtum est aliquid, quod mixtum  
est, similarium esse partium, & quemadmodum aquæ pars aqua, ita  
& temperati. Si autem secundum parva compositio fuerit mixtio  
nihil continget horum. Hanc sententiam quoq; propugnant *Scotus*  
& pleriq; *Latini*, qui hac in parte Scotum sequuntur. Argu-  
menta istorum potiora hæc sunt: (1) Nullum Ens per se, ut sunt mi-  
sta corpora, actu potest in se plures continere formas, Ergo nec for-  
mas elementorum. (2) Ubicumq; nova forma substantialis gene-  
ratur, ibi necesse est, priores formas omnes aboleri. In mistis gene-  
ratur nova. Ergo. (3) Omnes misti particulae, etiam minimæ, sunt  
mistæ, ergo non possunt continere actu elementorum formas. (4)  
Si formæ elementares cum suis qualitatibus remanerent in misto,  
contraria in eodem forent subjecto. Reliqua, quæ hic accumulans,  
non magni sunt momenti.

§. 14. Quamvis autem argumenta hæc primo intuitu speciosa  
satis videantur, non tamen tanti sunt ponderis, ut nos in assensum  
possint rapere: In primo enim argumento confundunt formam speci-  
ficam cum generica, dominam cum serva. Verum est, quod in quo-  
cumq; corpore detur una tantum forma specifica, quæ dat esse, di-  
stingui & operari, non tamen idem dicendum est de forma generica.  
Hæc enim sicut speciem non constituit, magisq; materiæ, quam  
formæ rationem habet; ita non repugnat, ut plures in eodem cor-  
pore esse queant. Dantur omnino plures formæ subordinatæ in eo-  
dem corpore, quæ lege naturæ sub specifica formæ dominio ali-  
quamdiu latent, donec jugo excusso, propriam speciem constituent.  
Dantur quoq; plures formæ accidentariæ in eodẽ, quæ sine lege & ad  
tempus ipsi per accidens insunt, ut sunt forma cibi, potus, medicame-  
torum, aliorumq; plurimorum. Elementorum vero formæ cum ad  
subordinatas pertineant, quomodo repugnabit, plures in uno cor-  
pore contineri? Neq; secundum argumentum tanti momenti est, ut  
sibi persuadent Adversarii. Nititur enim falsa hypothese de for-  
marum educatione & inductione. Quod figmentum, cum dudum  
à Naturæ scrutatoribus sit rejectum, ipsum quoq; ratiocinium suam

Be

amit-

amittit vim. Certè longè nobilior formarum essentia est, quam ut ex nudis elementis ea possit educi. Quis enim credat, formas metal-  
lorum ac reliquorum mineralium, quæ nobilissimas ostendunt vi-  
res, ab elementis deduci posse? Quis tam temerarius foret, qui for-  
mas animalium sagacissimarum, ut sunt forma canis, leonis, serpen-  
tis &c. à nudis elementorum mutationibus esse dicat? Quoniam  
verò à nobilissimis viris hæc clarè satis copioseq; ostensa sunt, no-  
lumus rem actam agere. Ad *tertium* quod attinet, largimur qui-  
dem ambabus manibus, quamlibet minimam partem integram  
esse mistam; non tamen exinde inferre licet, quod quælibet misti  
pars, etiam essentialis quælibet talis sit. Videtur enim, ut verba *Sen-  
nerti* nostra faciamus, contra natura mitionis, quod minima pars  
misti etiam debeat esse mista. Si enim mistio sit, quæ miscentur, sim-  
plicia sint, necesse est. Neq; opus est, ut simplicia illa mista sint, sed  
tandem in resolutione ad simplicia pervenire necesse est. Neq; in  
*quarto argumento* ulla contrarietas est metuenda. Mistio enim pro-  
priè corporum, non qualitatum est. Non autem corpora, quæ sub-  
stantiæ sunt, dicuntur contraria, sed tantum qualitates. Et quamvis  
qualitates corporibus insint, hic loci tamen nulla contrarietas pro-  
pter illas datur. Nam contraria tum demum inter se pugnant, quan-  
do notabiles eorum magnitudines & portiones concurrunt. Quod  
si vero in minimas particulas redigantur, nullam, vel vix notabilem  
pugnam ineunt. Sic oleum non admittit aquam, nec ei permiscetur  
ob naturæ contrarietatem, si autem oleum in minimas particulas  
redigatur, omnino aquam admittit. Eodem modo elementa qui-  
dem sibi contraria sunt, si autem repugnantia ista in minima fue-  
rint resoluta, omnis cessabit pugna.

§. 15. *Altera sententia Averrois & Zabarella* est. Hi enim, licet  
concedant, formas elementorum remanere in corpore, refractas  
tamen eas, diminutas & ad mediocritatem redactas esse perhibent.  
Verum cum ex supra dictis pateat, formas non recipere magis &  
minus, nec intendi vel remitti; Ipsi quoq; dissentientes nullam ra-  
tionem pro suâ adducant sententia, sed solummodo affirmant, for-  
mas habere gradus quosdam, ut aliqui auferri possint, reliquis per-  
manentibus, illam quoq; tanquam erroneam, & in rerum natu-  
ra minimè fundatam rejicimus.

§. 16.

§. 16. Restat *ultima* sententia, eorum videl. qui asserunt, elementa formas suas perfectas & integras in mistis retinere. Hæc sententia, uti *Sennertus* in *Hypomn. Phys. hyp. 3. cap. 2.* asseverare audet, omnium ante *Aristotelem* Philosophorum fuit. Propugnarunt enim eam olim *Empedocles*, *Democritus*, *Anaxag.* *Hippocrat.* aliiq;. Quorum vestigiis insistent recentiores *Avicenna*, *Fernelius*, *Sennert* *Sperling.* &c. Sicut vero sententia ista antiquissima; ita etiam verissima est. Id quod sufficienter patet (1) *ex natura mistionis*. Quæcunq; enim miscentur, ea non abolentur, ut supra audivimus, Sed elementa in mistione miscentur. Ergo non abolentur. Porro: Quæcunq; in mistione non abolentur, eorum formæ etiam in mistione remanent. Forma enim, non materia dat esse. Hinc si formæ elementorum non adessent, ne quidem mista ex elementis conflata dici possent. Atqui elementa in mistione non abolentur, Ergo nec eorum formæ. Deniq;: Ubicunq; formæ elementorum manent, ibi manent integræ. Formas enim non habere gradus, nec recipere magis & minus, sæpius dictum est. Sed in misto formæ elementorum manent. Ergo stabit conclusio, quod integræ remaneant. Nec est ut *Zabarella* distinguat inter remansionem illam, quæ est sine speciei variatione; & illam, quæ est cum variatione speciei, atq; dicat, priorem quidem attribui formis non posse, competere tamen ipsis posteriorem. Cum enim substantiæ nec intendi, neq; remitti possint, è substantiarum ordine formas eliminabit, quæcunq; ipsis remissionem attribuetri. Provocamus (2) *ad permanentiam qualitatum elementarium in mistis*, atq; ita colligim9. Ubicunq; affectiones formarum elementarium conspiciuntur, ibi ipsæ formæ elementorum dantur. Atqui in mistis dantur seu conspiciuntur formarum elementarium affectiones, Ergo. Major nititur canone Philosophorum: Posito effectu, ponitur causa. Minor negari non potest, quia sensu & experientia constat. Illud autem, quod sensu patet, in dubium sine urgente causa vocare, indecorum est. Nonnulli vim argumenti hujus videntes, dicunt, non qualitates elementorum, sed tantum virtutes & actiones illorum in mistis deprehendi. Sed, dum hæc ita asserunt, nostræ sententiæ robur addunt. Ubicunq; enim virtutes vel actiones elementorum sunt, ibi eorundem qualitates; & ubi qualitates, ibi ipsa forma. Actio enim præsupponit qualitatem in creaturis, qualitates autem

ipsum Subjectū, cui illæ inhærent. Docet hoc (3) *resolutio mistorum in elementa*. In quæcunq; autem mista ultimato resolvuntur, ex iis etiam constant. Atqui in elementa ultimato resolvuntur, Ergo. Equidem sunt, qui excipiunt, elementa à misto redire non eadem numero, sed transmutata propter varias actiones, in ipsa resolutione occurrentes. Sed nondum probatum est, quod elementa se habeant, ut transmutabilia misti principia, nec ulla ratione probari poterit. Ineptè, inquit *Sennertus l.c.* statuunt, elementa non eadem numero, sed specie redire è misto, id quod nulla ratione nititur, sed tantum ad palliandum absurdum dogma comparatum est; imo rationi & experientiæ repugnat. Etenim cum statuunt, elementa è misto redire ob similis elementi actionem, quæ id, quod in mitione amiserant, rursus acquirant: quomodo quæso in destillationibus & combustionibus aqua & terra è misto elici potuerit; cum ignis agendo in mistum, nihil aquei, nihil terrei inducat, imo actio ignis aquæ & terræ adversetur, non verò augeat & perficiat. Unum in combustionibus agens est ignis, ejusque vis omnes misti partes æqualiter afficit, & nihilominus alias calidas, alias frigidas, alias humidas, alias siccas, alias amaras, alias dulces, alias aliis modis differentes producit, quæ, cum ab unicâ actione ignis provenire non possint, certe antea in misto fuisse credendum est. Denique (4) ita veritatem assertionis probamus: Si pereunt formæ elementares, aut in mitione, aut post mitionem illud fit. Non in mitione, quia, ut antea habuimus, elementa ibi conjunguntur, & consequenter quoque illorum formæ. Non post mitionem, quia ibi adsunt formarum affectiones, & consequenter ipsæ formæ. Restat ergo ut formæ elementorum in mistis maneant. Quod erat demonstrandum.

§. 17. Denique de modo miscendi brevissima annotabimus. Consistit autem ille partim in resolutione elementorum & principiorum chymicorum in sua minima, partim in conglomeratione. In mitione enim miscibilia primum in minima dividi debent, ideo etiam liquida, subtilia & fragilia facilius miscentur, quam alia. Factâ sic elementorum divisione in portiones exiguas, pro misti natura, beneficio formæ specificæ deinceps uniuntur. Unio ista, quomodo fiat, videri potest in *Sennerti Epis. Scient. Nat. loc. cit.*

§. 17.



§. 17. Solent circa modum mistionis communiter illam quæ-  
 stionem movere, utrum mistio immediatè ex elementis fiat, & num  
 mista immediatè iterum in ea resolvantur? Nostra sententia est per-  
 fectè mista nec immediatè ex elementis componi, nec immediatè  
 in ea resolvi. Prius clarum est. Quando enim homo generatur,  
 non immediatè ex elementis producitur, sed ex semine; semen au-  
 tem est ex sanguine, sanguis ex chylo, chylus ex cibo & potu, cibus  
 & potus ex plantis & animalibus. Sic quoq; animalia non imme-  
 diatè nutriuntur ex elementis, sed ex aliis mistis corporibus, quæ  
 eorum causâ à Conditore sapientissimo sunt procreata & produ-  
 cta. Quod de animalibus diximus, valet quoq; de plantis. Un-  
 de Hippocrates: τὰ Φυόμενα καὶ σπειρόμενα, ὅποταν εἰς τὴν γῆν ἔλθῃ,  
 ἔλκει ἑκάστων τὸ κατὰ φύσιν ἐσωτῶ ἐνεὸν ἐν τῇ γῆ ἐνὶ δὲ ὄξύ, καὶ πικρὸν, καὶ γλυ-  
 κὺ καὶ ἀλμυρὸν, καὶ παντὶ εἶον. πρῶτον μὲν ἐν πλείστον, τὰ τέταρτα εἰλκυσεν εἰς ἐσω-  
 τὸ, ὅ, πᾶν ἢ ἐσωτέω κατὰ φύσιν, ἔπειτα δὲ ἔλκει, καὶ τ' ἄλλα h. e. Quæ ex  
 terra oriuntur, & in eam conferuntur, ubi terram subierint, eorum  
 quodq; trahit, quod suæ naturæ accommodatum in terra est. Inest  
 autem & acidum & amarum, & dulce, & salsum, & cujusq; modi.  
 Imprimis igitur ex eo plurimum, quod suæ naturæ accommoda-  
 tum fuerit, ad se allicit, tum etiam reliqua attrahit. Posterius, scilicet  
 resolutionem mistorum non immediatè in elementa fieri, patet par-  
 tim ex resolutione istorum naturali, partim ex violenta. Si natura-  
 lem resolutionem respicimus, plantæ & animalia non immediatè  
 in elementa abeunt, id quod odor vel foetor, qui ex illis provenit,  
 sufficienter declarat, utpote, qui ex nullo elemento, sed corporibus  
 mistis proficiscitur. Idem evenit in violentis resolutionibus,  
 quæ in indestillationibus chymicis locum habent. Ibi enim sæ-  
 pe, si res destillantur, Ignis nunc lentior, nunc violentior solet ad-  
 hiberi, ubi tamen neuter in elementa rem resolvit. Videntur qui-  
 dè fumi & vapores ascendere, sed si vasis excipiantur recipientib9,  
 manifestum evadet, resolutionem non in ipsa elementa, sed in ato-  
 mos sui generis esse factam.

§. 18. Atq; hæc de *Definitione* misti sufficiant. Subnectenda  
 nunc restat ejusdem *Divisio*. Dividitur verò *Mistio* (1) in *Perfectam*  
 & *Imperfectam*. (2) in *Regularem* & *Irregularem*.

§. 19.

§. 19. *Mistio perfecta* dicitur, quæ miscibilia perfectè miscen-  
tur, mistumq; perfectum constituitur. *Imperfecta* verò est, quæ  
miscibilia imperfectè miscentur, mistumq; imperfectum constitui-  
tur. Fundamentum divisionis est, quod natura non faciat saltum,  
sed quod in via generationis gradatim progrediatur, ab imperfecto  
ad perfectum tendens. Antequam perveniat ad complementa,  
prius dare solet rudimenta. Sic mineralia, dum generantur, non  
momento temporis absolvuntur, sed sua rudimenta primò habent,  
deinceps magis magisque sic crescunt, donec debitam perfectionem  
tandem assequantur. Ita natura quoque, ab arbore imperfecta ad  
perfectam, ab animali imperfecto ad perfectum tendit. Cave ta-  
men impræsentiarum confundas *perfectionem essentialem* cum *im-  
perfectione integrali*. Illa in multis corporibus potest esse, licet  
membra integritate nondum perfectè elaborata sint, adeoque im-  
perfectionem integram habeant, sicuti ex embrione, aliis foetibus  
immaturis res patet.

§. 20. *Mistio regularis* est, quæ fit secundum leges à natura  
præscriptas. *Irregularis* dicitur, quæ contra leges, à natura præ-  
scriptas accidit. Ad illam omnium corporum mistorum species  
pertinent. Ad hanc vero omnis mistio irregularis revocatur. Talis  
est, quando ficus platano & moro inseritur. Talis quoque est quando  
vel asinus miscetur cum equa, vel pardus cum leæna. Quamvis  
vero natura solers à tali mistione abhorreat, adeoque intentione pri-  
mariâ nunquam monstrum intendat, id tamen facit intentione  
secundaria, quia satius ducit, aliquid generando produ-  
cere, quam prorsus ab actione  
cessare.

**SOLI DEO GLORIA.**

V. D. 74

